DISPUTATIO DE FIDEIUSSORIBUS. DEO OPT. MAX. ADIUUANTE. PRAESIDE...

Valentin Voltz, Simon Lübbeke

Digitized by Google

Diſputatio
DE FIDEIVSSORIBVS.

Deo Opt. Max. adiuuante.

PRAESIDE CLA-
RISSIMO, ET CONSVL-
TISSIMO VIRO, DOMINO VALEN-
tino Volcio, I.V.D. & in inclyta Tubingenſi Academia
Profeſſore celeberrimo, præceptore ſuo omni obſeruantia
& pietate colendo, ad ſubſequentes cum queſtione con-
cluſiones, 15 Martij, hora conſueta, in Audito-
rio Iurecon. publici exercitij gratia, pro
ingenij viribus reſpondere
conabitur

Simon Lubbechius Stetinenſis
Pomeranus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

TVBINGÆ,
Excudebat Georgius Gruppenbachius
Anno 1578.

Quæſtio.

CVm homines cauti atq; prouidi non facilè in creditum ire ſoleant, niſi debitores futuros, pro eo quod ab ijs petunt, ipſos, datis fideiuſſoribus, ſecuros fecerint: In quæſtionem vocare placuit, an fideiuſſio res licita ſit, & qui dicantur fideiuſſores, ac quæ præterea circa eorum perſonas, obligationes, exactiones, beneficia, priuilegia, ac deniq; liberationes, conſideranda veniant?

Concluſio. I.

Etſi quidam opinentur, fideiuſſionis officium ab homine Chriſtiano alienum eſſe debere: nos tamen id honeſtum atq; laudabile, & in communi hominum commercio valdè neceſſarium, atq; ob ſubleuandas proximi neceſſitates, admodum pium eſſe exiſtimamus.

II.

Fideiuſſores autem eos appellari cenſemus, qui fidem ſuam, interpoſita ſtipulatione, ob maiorem creditoris ſecuritatem, pro alijs, ſic obſtringunt, vt Rei principales nihilominus maneant obligati.

III.

Perſonas verò ad fideiubendum idoneas atq; habiles, omnes eas putamus, quæ nullo Iuris priuilegio, vel auxilio, aduerſus creditores, ad excludendas eorum actiones, fuerint munitæ.

IIII.

Fideiuſſores omni obligationi, ex contractu ſcilicet legibus non improbato, ortæ, ſiue naturali tantùm, ſiue ciuili tantùm, ſiue naturali & ciuili ſimul, ſiue principali, ſiue ei, quæ acceſſionis loco eſt, ſiue deniq; re, ſiue verbis, ſiue literis, ſiue con-

ſenſu initæ atq; perfectæ, vel purè, vel ex die, vel ſub conditione, accedere poſſunt.

V.

Sed licet contractus, cui fideiuſſor adhibetur, Iure improbatus ſit: ſi tamen reus, alicuius rei nomine, fuerit obligatus, valebit fideiuſſio.

VI.

Vnde ſi quis ignoranti rem, quam natura, vel gentium Ius, vel mores ciuitatis commercio exuerunt, vtpote ſacram, vendiderit, venditor tum ad præſtandum id quod intereſt emptoris, ne decipiatur, ex vendito tenetur: tenebitur ergò & fideiuſſor eius, cùm ſubſit aliqua obligatio in perſona Rei, cuius nomine fideiuſſor obligari poteſt.

VII.

In criminalibus quoq; cauſis, pro cuſtodiendis, exhibendisq; Iudici reis, ſi non graue nimium, atroxq; fuerit delictum, ob quod carceris etiam pœna, ante ſupplicium, ſuſtineri debeat, fideiuſſores interuenire poſſe cenſemus.

VIII.

Porrò, vt fideiuſſio viribus ſubſiſtat, id vel in primis eſt neceſſarium, vt fideiuſſor ſe daturum, facturumúe, atq; ita proprium, non etiam alienum, ceu rei principalis, factum promittat.

IX.

Deinde, vt apud eundem, cui reus promittendi obligatus eſt, ac pro eadem re, quæ credita eſt, fideiuſſorio nomine ſe obſtringat.

X.

Præterea, ne qualitate, hoc eſt, tempore, loco vel cauſa, durior ſit fideiuſſoris, quàm rei debendi conditio.

XI.

Deniq; & illud, ſecundum crebriorem Doctorum opinionem,

nem, deſiderari ſolet, ne fideiuſſio quantitate principalem obligationem excedat: Nam ſi maiorem ſummam, quàm principalis debeat, fideiuſſor promiſerit, fideiuſſio nulla cenſetur, adeò, vt ipſe nec in quantitatem ſummamq́ minorem, principali obligatione comprehenſam obſtrictus eſſe dicatur.

XII.

Quamuis autem fideiuſſorum obligatio, principali durior eſſe nequeat: tamen ij efficacius, quàm debitores, obſtringi poterunt, puta Inſtrumento, quod habet executionem paratam, aut facti, vel pœnæ alicuius adiectione.

XIII.

Simpliciter etiam, non repetita ſumma, ad quam ſe obligauit principalis, fideiuſſor promittere poteſt: Et tunc promiſſio eius primæ obligationi adaptatur, ſic vt neq; plus, neq; minus continere cenſeatur.

XIIII.

Etſi autem acceſſoria ſit fideiuſſoris obligatio, præcedere tamen principalem poteſt, quæ, vſq; dum perfecta eſt principalis, viribus deſtituta ſine effectu pendet.

XV.

Sicuti ea quoq; in pendenti eſſe cenſetur fideiuſſio, ſi propter futurum euentum non conſtiterit, an durior, vel leuior futura ſit fideiuſſoris conditio.

XVI.

Perfecta tandem vtraq; obligatione, omnibusq́ adparem cauſam redactis, tenetur fideiuſſor, non ſecus atq; principalis debitor, donec in ſolidum creditori, tam ſortis, quàm vſurarum nomine, fuerit ſatisfactum.

XVII.

Si quid tamen, ob Rei moram, vel contumaciam, principali obligationi acceſſerit, id fideiuſſoris obligàtionem augere non debet, niſi in omnem cauſam ſe obligauerit.

 XVIII.

XVIII.

Fideiuſſores autem non aliter, quàm in ſubſidium, hoc eſt, abſente debitore, aut excuſſis principalis debitoris bonis, conueniri poſſunt.

XIX.

Quòd ſi plures fuerint fideiuſſores, ſinguli in ſolidum obligantur, & conueniri poſſunt, niſi creditor petitionem ipſe diuidat: Singuli enim obligationem principalem fide ſua eſſe iubent.

XX.

Ex Epiſtola tamen Diui Hadriani beneficium diuiſionis habent: & à ſingulis, qui tempore litis conteſtatæ, ſoluendo ſunt, viriles exigi debent.

XXI.

Quòd ſi quidam, eo tempore, ſoluendo non fuerint, hoc cæteros onerat.

XXII.

Atq; ſi vnus quiſpiam, ex fideiuſſoribus conuentus, ſoluerit, reliqui liberantur.

XXIII.

Is tamen qui ſoluit, petere poteſt à creditore ceſſionem actionum, quibus aduerſus confideiuſſores agat, vt viriles præſtent.

XXIIII.

Ex fideiuſſione autem non datur actio fideiuſſoribus, contra principalem, antequam exoluant: niſi aliter conuentum ſit, aut debitor dilapidare cœperit, aut ipſi fideiuſſores condemnati ſint, aut diu in obligatione ſteterint, aut in fideiuſſores parata ſit, ex Inſtrumento, (quod Guarentigiatum vocant) executio.

XXV.

Extinguitur autem fideiuſſorum obligatio ſolutione, à principali

principali debitore facta, ſolutionis die, ſine fideiuſſoris conſenſu, prolato, nouatione, conditione, & tempore, quæ fideiuſſioni adiecta fuerint, adimpletis.

XXVI.

Solet etiam fideiuſſoria obligatio perimi, quando fideiuſſor hæres exiſtit ei, pro quo interuenerat, ita quidem, ne fideiuſſorem conuenire poſſit creditor: Sed tamen, confuſa prima obligatione, ex poſteriori, & quaſi hæres, pro parte hæreditaria tenetur.

XXVII.

Non diſſimili modo, cùm Reus promittendi fideiuſſori ſuo hæres exiſtit, obligatio fideiuſſoria perimitur: Verùm hoc caſu, tanquàm à reo debitum petetur, & ſi exceptione fideiuſſori competente vſus fuerit, in factum replicatio, aut doli mali proderit.

XXVIII.

Quod ſecus eſt, ſi creditor ſtipulator reum hæredem inſtituerit: Hoc enim caſu, omnimodò fideiuſſoris obligatio perimitur, quandoquidem nemo poteſt apud eundem, pro ſe ipſo obligatus eſſe.

XXIX.

Quòd ſi deniq; debitori creditor, pro parte, hæres extitit, accepto cohærede fideiuſſore, quod ad ipſius quidem portionem attinet, obligatio, ratione confuſionis, intercidit, aut, quod eſt verius, ſolutionis poteſtate: Sed pro parte cohæredis obligatio ſalua eſt, non fideiuſſoria, ſed hæreditaria.

FINIS.